

213.

319.

Disputatio XI.

DE ORIGINE ET AUTORITATE
Iuris Feudorum, tum etiam de Feudi definitione.

QVAM,

Deo benè iuuante,

PRÆSIDE

CLARISSIMO ET
CONSULTISSIMO VI-
RO, DOMINO HENRICO BOOCERO,
I. V. D. & Antecessore in inclita Tbingensium Academia
celeberrimo, Præceptore suo summè
honorando,

ORDINARII EXERCITII CAUSA,
bora locoq[ue] consuetis, discutiendam
proponit


IOHANNES GEORGIVS
BESOLDVS TVBING.



TVBINGÆ,
Excusit Georgius Gruppenbachius.

ANNO M. DC.

cc



Disputatio XI.

DE ORIGINE, ET AUTORITATE
Iuris Feudorum, tum etiam de Feudi definitione.

THESSIS I.

EXPOSITO HACTENVS DOMINIO
Iuris in servitute, usufructu, Iurisdictione, & regalibus,
proximum est, vt de eo de hinc agamus Iuris dominio,
quod est in Feudo; (a) de Emphyteusi, cuius similiter
dominium est, (b) iam dudum differuimus. (c)

- (a) Feudi quoq; dominium esse, arguit text. in t. 8. §. rei autem, ibi, vt
tanquam dominus possit à quolibet possidente, sibi quasi vindicare. lib. 2. F.
- (b) l. possessores, 12. in fin. C. d. fund. patrim. lib. 12. Et patet ex eo, quod
Emphyteutæ in rem actio datur. l. 1. ff. si ager vectig. (c) sub cl. 1. disp. 15.

II.

Primò omnium autem dispiciemus de origine & autoritate Iu-
ris feudorum, tum etiam de feudi definitione. Postea verò gene-
rales feudi affectiones, ordine aliquot disputationibus excutie-
mus.

III.

Feudorum originem Longobardis acceptam ferendam esse, ex
communi Feudistarum consensu, putamus.

Iul. Clar. in §. feudum, q. 1. Duaren. c. 3. d. F. cir. fin. Hotom. c. 1. & 2.
disp. F. Obrecht. disp. Feud. 1. c. 2. Fach. lib. 7. contr. c. 1. Idq; primò, quia
in libris nostris feudalibus sapè mentio fit Longobardorum, & eorum legum,
tit. 10. lib. 1. t. 1. t. 8. & 58. lib. 2. Feud. Secundò, quia multa rerum feuda-
lium vocabula Germanorū idiomati, vt pote gentis vicinæ, & in quorum re-
gione longo tempore Longobardi habitarunt, imò è quorum progenie sunt.
Paul. Diacon. lib. sing. de Longob. Francisc. Irenic. Germ. exeges. lib. 1. c. 35.
& lib. 6. c. 31. Philip. Melanth. lib. 3. chron. sub Iustinian. Imp. consonare
videtur, vt pañim adparebit, & indicabitur. Dis. variè Zaf. p. 1. Molin. in
consuet. Paris. tit. 1. in pr. num. 1. & 12. Borch. post Cuiac. c. 2. num. 12.
D. Vult. c. 1. num. vlt. Niell. disp. feud. 1. th. 1. Schoner. disp. feud. lib. 1.
ib. 2.

III.

Horumq; Iura consuetudine, siue usu primitus recepta esse, in-scrip-tio librorum feudalium abunde arguit.

Item rubr. t. 28. lib. 2. Feud. hic finitur lex: deinde consuetudines incipiunt regni. Item rubr. t. 33. lib. 2. d. consuet. recti feudi. Vnde appellatur usus curiarum. lib. 2. t. 1. ius curiae. t. 101. lib. 4. ius in multis curijs & ciuitatibus intellectum. t. 88. lib. F. Fuereq; primum localia. t. 1. S. fin. lib. 1. Feud. tit. 28. §. non est consuetudo. lib. 2. VVesenb. in proem. feud. n. 4. Vult. de feud. lib. 1. c. 1. n. 5.

V.

Inde manifestum est, feudalium placitorum compositionem legislatori alicui, aut Imperatori, assignari haud posse. (a) De Oberto verò de Orto maior dubitatio est; & quidem compilationem horum librorum à multis, (b) falsò (c) ei assignatam, cum Hotomano defendemus. Sicut & illos (d) errasse putamus, qui Gerhardum Nigrum autorem compilationis libri primi, Obertum verò de Orto libri secundi, itemq; tertij, quem à secundo segregant, & initium eius capiunt à tit. 23. in quibus causis feudum amittatur (e) constituerunt.

(a) idetiam arguente eo, quod in utramq; partem sèpè de aliqua controvergia opiniones & argumenta citantur, & lector dubius relinquitur, quod non legislatoris, sed dubitantis est interpretis. Diß. Peucer. lib. 5. chron. Charion qui Fridericum primum, vt Iura feudorum conscriberentur, lib. curasse tradit. (b) Molin. in consuet. Paris. t. 1. in pr. n. 100. Iacob. Aluazott. in prælud. feud. (c) Hotom. in præf. sua in librum feud. & ad t. 36. lib. 2. Quia eius auctoritas, vt cuiusdam tertij, adducitur in t. 28. t. 25. t. 51. lib. 2. F. Sed & opinio illius sub d. t. 51. reprobatur tit. 8. lib. 1. F. Item eius sententia indicata d. t. 51. S. pen. reijcitur per text. t. 27. lib. 1. F. (d) Cui ac. in præfat. lib. 1. F. (e) sententia enim Gerhardi, relatæ in tit. 36. lib. 2. F. contradicit t. 6. S. mutus. lib. 1. Ut & Oberti libellos duos, de quibus in t. 1. t. 24. S. porrò. lib. 2. & t. 31. S. 23. lib. 1. tantum duas epistolas, qua significatione libelli quoq; accipiuntur, l. 1. C. d. prec. Imp. offerend. tot. tit. quand. libell. princ. oblat. litis contest. fac. l. 1. S. vlt. ff. d. appell. t. 1. de libell. dimiss. &c. fuisse probabile est.

VI.

Eorum ergo sententiam, qui statuunt rapsodiam quandam esse, ex variis libris studiosorum qui in foro Mediolanensi versabantur,
à priuato

à priuato homine, sine villa condendæ legis potestate, conscriptam, iudicamus esse verissimam.

Cum Conan. com. 1. c. 10. num. 3. Duaren. c. 1. num. 4. Hotom. in d. præfat. Hinc resolutur illa quæstio, an hac scriptura interueniente, factæ sint ius scriptum? quod negamus. arg. l. imd. 35. ff. d. l. Obrecht. d. disp. 1. c. 3.

VII.

De autoritate Iuris feudorum quærere superuacaneum videatur, cum multis ante seculis non modò in scholis traditum, sed & vbiique, vnanimo consensu totius orbis Christiani, tum in iudiciis, tum extra iudicia, decidendo & consulendo receptum sit.

Curt. lun. part. 1. q. 1. Sonsbec. part. 1. num. 22. Schrad. part. 1. c. 1. num. 6. & seqq. Vult. de feud. lib. 1. c. 1. num. 5. & seq. & ecclesiasticæ personas ligent. c. ex transmissa. c. verum extr. de for. comp. tot. tit. extr. de feud. c. quæ in ecclesiarum. extr. de const. c. ad aures. extr. de pœnis. Borch. de feud. c. 2. num. 31. Schrad. p. 1. c. 2. num. 5. Intrighol. quæst. F. 14. n. 4, Vult. c. 2. num. 8.

VIII.

Inspecta origine & autoritate Iuris feudorum, ad eius definitiōnem transeundum. Feudum est ius (a) in re quadam, (b) quod quis ab alio, fidelitatis mutuò præstandæ causa, (c) constitutum habet.

a) arg. text. in t. 1. §. sciendum, iunct. t. 23. in fin. lib. 2. Feud. Et quemadmodum Emphyteusis est ius in prædio emphyteutico, l. 3. §. ius. ff. d. reb. cor. qui sub tut. sive cur. sunt. l. si damus. 71. § pen. ff. de leg. i. vſus-fructus in corpore vſufructuario; ita quoque feudum est ius in re quadam feudataria, quod genus etiam feudo attribuit Cuiac. in præfat. lib. feud. Hotom. in disp. feud. c. 4. (b) corporali, vel incorporali, veluti jurisdictione, regalibus, t. 1. §. sciendum, ibi, aut in ijs quæ inter immobilia, connumerantur. & c. super quibusdam, §. præterea. extr. de verb. sig. Zas. in epit. feud. part. 4. & Schrad. tr. suo feud. part. 2. n. vlt. (c) hoc solo tanquam specifico symbolo, à quo quis alio iure quod in re quadam habemus, distinguitur. t. 3. in fin. t. 5. 6. & 7. lib. 2. F.

IX.

Hinc adparet, malè Obertum, (a) feudum esse beneficium, (b) quod ex benevolentia ita datur alicui, vt proprietas, (c) quidem rei immobilis beneficiatæ penes dantem remaneat, (d) vſus-

CLASSIS QUARTÆ

fructus (e) verò illius rei ita ad accipientem transeat, vt ad eum here-
desque suos, masculos siue fœminas, si de his nominatim dictum
sit, in perpetuum (f) pertineat, ad hoc, vt ille & sui heredes fideliter
domino seruiant, siue seruitium nominatim quale esse debeat sit
expressum, siue indeterminate sit promissum: definiendo asse-
zere.

a) t. 23. in fin. lib. 2. F. (b) genus quod attinet beneficium, cum sit
actio beneuola, malè feudum definitur beneficium, differunt in quippe sicut
causa & effectus. Tum quoq; feudum citra beneuolam concedentis actionem
ullum indicium cuius inheret q; etat. acquiri potest, vt præscriptione, t. 36. §. si quis per triginta annos, lib. 2. F. pre-
fud non pateretur ut merces fave q; cito vel mercede interueniente, tit. 2. in pr. lib. 1. F. Sonsbec. part. 2. num. 8.
miny b. yola sic alio. hoc. Goff Borch. de feud. c. I. n. 12. qui dissentientes apponit. Tertiò, quia feudum pro-
prium obligat accipientem ad præstanda seruitia, tit. 21. vers. vel si domi-
nus suis. lib. 1. Feud. beneficium verò duntaxat ad remunerationes, citra
necessitatem. Sed & qui concedit feudum de euictione tenetur, t. 8. in prin.
& tit. 25. lib. 2. Feud. qui beneficium, minimè. l. Arist. 18. §. vlt. ff. de
donat. Ultimò, quia beneficium non est ipsa feudi generalis essentia, sed
est tantum aduentitia & adiuncta quedam feudi qualitas. (c) male;
quandoq; enim dominus feudum in Vasallum conferens, ipsam quoq; pro-
prietatem ex pacto transfert. Bald. in l. si plures, 6. num. 7. ff. de condit. in-
sert. & in l. un. n. 67. C. de confess. Ias. in prælud. feud. num. 14. Curt. lun.
tract. feud. part. 1. c. 1. num. 7. Molin. ad consuet. Paris. tit. 1. gl. 1. in fin.
pr. Zaf. part. vlt. cir. fin. Ludolp. Schrad. tr. de feud. part. 2. c. 2. n. 29.
& seq. Quod etiam ex eo appareat, quia pecunia in feudum dari potest, vti
arg. text. in t. 8. in pr. vers. ignorans, & t. 25. in pr. vers. respondi, ibi, vel
nummos in feudum dandos numeret, vbi Hotom. lib. 2. Quod item ipse
Vasallus, in quem feudi proprietas à domino translata non est, hoc feudum
alij dare in feudum potest. t. 3. §. sed etiam, & t. 9. in pr. t. 55. §. vlt. vers.
illud quoq; lib. 2. F. (d) feudum non semper à domino proficiuntur: potest
enim nobilis aut Baro patrimonium suum allodiale principi alicui in feu-
dum offerendo, se Vasallum efficere, & ad fidelitatem præstandam astrin-
gere, vid. Zaf. p. 3. in fin. Vult. c. 5. num. 19. (e) dum dicit Obertus,
proprietatem penes dantē manere, vsum fructum verò ad accipientem tran-
sire, innuit, feudum in re incorporali constitui non posse, quod tamen fal-
sum: iurisdictionem enim, Regalia, ceteraq; iura, seorsim alicui in feudum
dari posse, abundè arg. text. in t. 1. §. sciendum, ibi, aut in ijs quæ inter im-
mobilia annumerantur. lib. 2. & c. super quibusdam, §. praterea. extr. de

verb. sig. quod in specie scribunt Zaf. in epit. Feudor. part. 4. & Schrad. part. 2. c. 2. num. vlt. (f) hoc de omni feudo verum non est: feendum enim guardiae & castaldie transacto anno, dominus quacunq; hora vult, auferre potest Vasallo. tit. 2. in princ. & tit. 11. lib. 1. F. Feendum item habitationis, morte accipientis finitur. tit. de feud. habitat. in pr. in extraordin. capp. (g) sed & feendum ab omni seruitio liberum dari potest, tit. cas. quib. fœmina in feendum succedit, in pr. in extraordin. capp. Deniq; Obertus in hac sua feudi definitione ipsam formam substantialem, quæ est fidelitas, ad quam præstandam inter se dominus & Vasallus tenentur, d. tit. 3. in fin. tit. 5. 6. & 7. lib. 2. Feud. Molin. in consuet. Paris. t. 1. in pr. num. 100. pl. nè omisit.

X.

Feendum Gofredus (a) definiuit, quod sit concessio, (b) pro homagio (c) facta.

(a) in sum. de feud. quo etiam genere vtuntur Aluarott. c. 1. §. fin. tit. 23. lib. 2. Feud. Iacob. de Beluis. in proœm. feud. col. 1. Zaf. part. 1. VVesenb. in tr. suo. de feud. c. 1. n. 11. (b) Sed quæratio est cur feendum definiri non possit beneficium, eadem ratio est, cur feendum definiri non possit concessio: feudalis enim concessio, & ipsum feendum, differunt tanquam causa & effectus. (c) recte, si pro ipsa fidelitate accipiatur, quemadmodum accipi posse, ostendit Molin. in consuet. Paris. gl. 1. §. 3. n. 3.

XI.

Non est cæteris felicior in definiendo feudo Anton. Contius, qui feendum hoc modo definit: feendum est res immobilis (a) data alicui, vt eius proprietas penes dantem maneat, ususfructus vero ad accipientem heredesq; eius, masculos vel fœminas, si ita dictum sit, in perpetuum transeat, dummodo accipiens eiusq; heredes fideliter dominio seruant.

(a) ita etiam definiuit feendum Duaren. in com. in usu feud. sed non recte: feendum enim & res immobilis, differunt ut contentum adiunctum, & eius subiectum continens. Res immobilis ut plurimum est feudi subiectum, non ipsum feendum. tit. 1. §. vlt. lib. 2. Feud. Cuiac. in præfat. feud. Sumitur quidem interdum pro ipso prædio feudali, sed impropriè. Reliqua, quæ pro specifica differentia ponuntur, parib. ponderib. quib. Oberti definitio, facile examinari possunt.

Sed

CLASSIS QVARTÆ

XII.

Sed & eorum sententia reprobanda, qui definiunt feudum, quod sit *vſusfructus* (a) quidam rei immobilis, ex benevolentia domini sub conditione fidei concessus. Sic & quicum Bartolo (b) contractum generis loco ponunt, (c) falluntur.

(a) *Vult. de feud. c. 1. num. 9. Gædd. disp. feud. 1. th. 3. Schon. disp. feud. 1. th. 1. Niell. disp. 1. th. 6.* Antea demonstratum est, *vſumfructum quoq; cum ipsa proprietate à Vasallo domino concedi posse.* Feudum etiam interdum nullum continet *vſumfructum*, ut cum ius creandi tabelliones, & legitimani spurious, alicui in feudum concessum est. (b) *Bart. in l. Iurisgentium, 7. §. quin imò, num. 19. ff. de pact. Ias. in prælud. Feud. num. 34. Molin. in consuet. Paris. t. 1. §. 1. gl. 9. num. 4. & Schrad. part. 2. c. 2. num. 1.* (c) *reuera enim aliud est contractus feudalis, aliud ipsum feudum; per contractum quandoq; feudum promittitur, at ipsum feudum contractus non est.* Cuiac. in *præf. feud.* *Quandoq; etiam absg; contractu feudum constituitur, veluti, cum quis testamento suo alicui prædia quædam in feudum legat, item cum Vasallus præscriptione feudum acquirit.*

XIII.

Est autem propriè fidelitas siue fides (a) in Iure nostro feudorum, (b) officium quoddam, tum auxilio, tum consilio, auertendi damnum à persona & bonis, ad quod inter se dominus & Vasallus arctissimo vinculo astricti sunt; & quidem hic illi cum veneratione quadam.

(a) *fidelitatis nomine in Iure nostro feudorum significatur sèpè Iusiu-randum, quo Vasallus domino suo fidem, venerationem, & obsequium pro-mittit. t. 4. t. 26. S. omnes filij, lib. 2. F. propriè tamen ipsum Iusiu-randum non est fidelitas, ut apparet ex d. t. 3. in fin. t. 5. 6. 7. & 16. in princ. lib. 2. F.* (b) *d. t. 5. 6. & 7. lib. 2. Præstant & subditi principi & domino suo fidelitatem, que tamen cum genere feudi coniuncta non est. Sicut nec illa, que à confederatis & socijs mutuo præstatur: socij enim non semper eam præstare tenentur, sed tempore tantum belli, neccum veneratione.*

XIV.

Nomen Feudi diductum putamus à fide, (a) tanquam causa formalis: licet quoque haud ineptè dici possit à Germanico Thiden/ (b) quod Latinis pascere significat. Alij Feudum deducunt à fœdere, quod dominus & Vasallus de fidelitate præstanda inter se ferire solent.

523.

D I S P U T A T I O X I.

solent. (c) Alij à voce Fehd/ (d) quæ hostilitatem siue bellum significat. Ioh. Bodin. (e) feudi nomen collectum arbitratur ex initialibus literis, quibus forma iurisiurandi, qua fidelitatem Vasalli spondent, concepta est; quam hanc esse scribit: Fidelis Ero Domino Vero Meo: quæ tamen, licet sit ingeniosa, magis coniecturalis est, quam superior quæuis notatio.

a) vt arg. autoritas text. int. 3. §. vlt. lib. 2. F. Idq; communiter probant Feudistæ, Iacob. de Arti Zone, in summa feud. c. 4. Bald. in prælud. feud. num. 7. Aluarott. in proem. lect. sue, num. 9. Francif. Curt. in tr. feud. p. 1. c. 8. Ias. in prælud. feud. n. 28. Iul. Clar. lib. 4. sent. §. feudum. q. 5. Duaren. de feud. c. 2. num. 3. Connan. lib. 2. com. c. 9. num. 6. Cuiac. in præfat. in lib. feud. VV esenb. in tr. de feud. c. 1. n. 1. Schrad. part. 2. c. 1. num vlt. Vult. de feud. c. 2. Obrecht. disp. feud. 1. c. 3. Licet Hotom. in disp. sua de Iure feud. & alij alibi dicant, si Feudum à fide diceretur, non feudum, sed fidelium, vel fidelitum nominaretur. Hoc si verum, certè nechomo ab humo diduceretur, nec Vesta à vi stande. (b) Sunt enim feuda quædam pascua Vasallorum, vnde ipsi viuant. Huius notat. author. Melanth. in annot. ad lib. Cic. de off. eamq; refert Iacob. à Beust. in lectur. sua ad l. admonendi, n. 874. ff. de Iure iur. (c) Zaf. in epist. feud. part. 1. num. 2. & in l. 2. in pr. num. 22. d. orig. Iur. Vnde quidam feudum appellant fœdum. Cuiac. in d. præfat. (d) siquidem feudum conferatur in Vasallum, vt domino tempore belli auxilium & opem ferat. Hanc notationem post alios probat, & ceteris præfert Hotom. in d. sua disp. d. feud. c. 1. Gødd. disp. 1. th. 11, (e) lib. 1. derep. c. 10. in pr.

XV.

Qui confert & constituit alicui feudum, propter obseruationem & venerationem, quam ei Vasallus debet dominus (a) eadem quæ ratione & senior (b) appellatur.

a) domini appellatio largæ significationis est, vt pat. ex l. deprecatione, ff. d. l. Rhod. d. iact. l. 1. ff. rer. amot. & doc. Oldrad. cons. 159. num. 6. non vt vulgo creditur, quod dominium & proprietatem sibi retineat. (b) t. 17. & t. 18. lib. 1. F. & in const. Imp. Conrad. quæ est 1. lib. 5. feud. in edict. Cuiac. Hotom. in disp. de feud. c. 3. Borch. in com. in consuet. feud. c. 5. num. 11. non etatis ratione, nam & minor 25. annis feudum constituere potest.

dd

Qui

XVI.

Qui feudum ab alio accipit, & Iure possidet, passim hisce Feudorum libris Vasallus dicitur, à Germanico Vasalen/ (a) quòd Latinis significat incremento augeri, sīch bessern vnd zunemen: feudum enim Vasallo incrementum bonorum & dignitatis affert. Dicitur etiam sāpe numerò Fidelis, quia Domino fidelitatem præstare teneatur: (b) item Feudatarius, (c) deniq; Clientulus, quia in fide & tutela domini sui est. (d)

(a) quam notationem placere quoq; intellectimus nuper Dn. Pet. Fridero Mind. lib. 2. de mandat. num. 7. Quidam Vasallum dictum putant à vade. Quidam à Germ. voce Gesell / At neutra dictio vel literis, vel syllabis, vel significatione, satis consonat huic nomini. (b) t. 1. §. & quia vidimus t. 4. §. si quis demanso, t. 5. §. item fidelis, & §. rursus, t. 10. lib. 1. F. t. 6. §. vlt. lib. 2. F. (c) in Const. imp. Henr. 2. in fin. sub lib. 5. edit. Cuiac. (d) d. t. 10. & 13. lib. 1. F. (e) t. 6. §. vlt. lib. 2. F.

XVII.

Si plures eiusdem domini Vasalli sint, pares (a) dicuntur: item compares. (b) Et quidem si in eodem sint Domini territorio, sub eadem illius domo vel curia, pares curiæ, item pares curtis, & pares domus, vel pares de domo, appellantur. (c)

(a) t. 18. t. 26. §. testes verò sint pares eius, & §. in clericorum feudo, lib. 1. F. (b) t. 54. lib. 2. F. (c) t. 2. §. 1. vbi Cuiac. t. 10. t. 11. t. 26. §. §. quis. lib. 1. t. 2. in pr. lib. 2. F. VVesenb. in tr. de feud. c. 17. num. 3. Vnde apparet, Duaren. in com. suo in consuet. feud. c. 7. num. 3. curiam ipsum determinum non rectè interpretari.

COROLLARIVM

I.

Periurium Iure Romano, seu Iustinianeo, nullam habet pœnam.

t. 2. C. d. reb. cred. Cuiac. 2. obs. 19. Decian. pract. crim. 6. c. 13. F. chin. 1. c. 14.

Reme-

II.

Remedium l. 2. C. d. rescind. vend. extendi potest ad alios bona;
fidei contractus, non verò transactionem.

l. Lucius. 78. §. vlt. ad SC. Trebell. l. insumma, 65. in pr. & §. 1. de cond.
indeb. l. si superflite. 5. C. d. dol. l. sub prætextu. 19. & l. si profundo. 33.
C. d. transact. Dn. Præf. disp. vlt. th. 27. claf. 1. Ant. Fab. dec. 1. er. prag. vid.
Fach. in. 2. c. 26.

III.

Triginta annorum præscriptione non extinguitur anni redi-
tus ius principale.

Myns. 3. obs. 13. Gail. 2. obs. 73. vt nec pactum de retrouendendo, vel ius
offerendi, præscriptionem admittit. l. 2. C. de pac. in empr. &c. l. quod
si. 31. §. si quid ita, ff. de ædil. edict. Dn. Præf. disp. 4. th. 48. claf. 1. VVesenb.
conf. 2. p. tot. Decian. conf. 13. gl. 21. conf. 87. vol. 2. Fach. 2. c. 13. Dn. Pet. Frid.
Mind. lib. de process. extrah. c. 72. n. 6. & c. 37. n. 5.

IV.

Mater, quæ coheres filio impuberi data non est, per expressam,
(a) non verò per tacitam (b) substitutionem pupillarem, exclu-
ditur.

a) l. Papinianus, 8. §. sed nec de inoff. testam. c. 1. §. vlt. ex ir. de restam.
in 6. (b) vid. Menoch. præsumpt. 39. p. tot.

V.

Filius fideicommisso grauatus, detrahere duas quartas nequit
Iure ciuili.

l. iubemus. C. ad SC. Trebell. Nou. 39. Dn. Præf. disp. 7. th. 65. & seq.
claf. 2. Ant. Cont. disp. Iur. ciu. c. 3. Fachin. lib. 5. c. 1. & 2. D. Pet. Frid.
lib. 2. c. 68. n. 8.

VI.

Patrui hereditatem, inter duorum fratrum filios solos, in capita
diuidendam censemus.

l. 2. §. hec hereditas. de suis & legit. Nou. 118. c. 3. §. si verò. §. hoc etiam.
Inst. legit. agnat. success. Hotom. q. ill. 14. Dn. Præf. disp. 10. th. 46. claf. 2.
vid.

CLASSIS QUARTÆ DISP. XI.

vide Ant. Fabr. disp. hac de quæst. singular. iunct. lib. eiusdem de varijs summariorum debit. solut. cont. Molin.

VII.

Ius repræsentationis locum habere, si familiæ legatum sit, cum
ICto Modestin. defendemus.

in l. omnia. 32. §. vlt. d. legat. 2. Sim. d. præt. d. interp. vlt. volunt. lib. 3.
dubit. 4. sol. 3. n. 21. Menoch. lib. 4. præsumpt. 95.

VIII.

Iniuriarum actio æstimatoria quod cedi possit, verius est.

l. 4. ff. l. 3. & l. vlt. C. d. hered. vel act. vend. D. Præf. disp. 4. th. 58. class. 3.

IX.

Imperatorem mundi dominum esse, IC. Volusius Mæcianus
scribit.

in l. deprecatio. 9. ff. d. l. Rhod. d. iact. 1. Menoch. cons. 2. part. & ibid. Dd.
ad l. 1. C. d. sum. trinit.

FINIS DISPUTATIONIS
UNDÉCIMA.

Ka 3071
(3/4)

ULB Halle
003 261 573

3




sb

Bürobind. 3/1.



Farbkarte #13



Disputatio XI.

IN E T A V T O R I T A T E
udorum, tum etiam de Feudi definitione.

Q V A M,

Deo benè iuuante,

P RÆ S I D E

R I S S I M O E T
V L T I S S I M O V I-
N O H E N R I C O B O C E R O,
secessore in inclyta Tubingensium Academia
perrimo, Præceptore suo summè
honorando,

R I I E X E R C I T I I C A V S A,
ora locoq; consuetis, discutiendam
proponit

N N E S G E O R G I V S
B E S O L D V S T V B I N G.



T V B I N G A E,
Georgius Gruppenbachius.

A N N O M. D C.

cc

319.